



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum  
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ  
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 3. An qui avertit aliquem à Religione, tenetur ad aliquam restitutionem?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

cooperetur ad ejus damnum , sine ejus consensu , vel sine justa causa , & auctoritate.

*Q. 3. An qui avertit aliquem à Religione , tenetur ad aliquam restitutionem ?*

*Resp. I.* Qui vi , metu , calumniâ , fraude , mendacio , alióve modo injusto impedit , vel avertit aliquem à Relig'onis ingressu , aut professione , peccat graviter contra justitiam , & tenetur vim , ac fraudem tollere , & ei suadere ingressum , seu redditum , & Monasterio compensare , quanti valebat spes commodi temporalis , quod ex ipsius donatione , labore , ac industria expečtabatur , si iniustè abduc̄tus non fuisset . *Est communis.* quia utrique fecit injuriam damnosam ; nam quisque habet jus strictum , ne viâ iniusta bonum eius immediatur . Talis tamen seductor non tenetur ipse Religionem ingredi : tum quia fortè non est aptus ; tum quia status Religionis , cùm sit status perfectionis , requirit Dei vocationem , & nullus ad illum , nisi spontè volens , admitti debet .

*Resp. II.* Ex communi , qui alterum sine vi , fraude , mendacio , aliáve viâ iniusta , sed sine iusta causa avertit à Religionis ingressu , vel professione , non tenetur ad restitutionem ; quia nemini fecit iniuriam . Sed peccat contra charitatem , retrahendo eum sine iusta causa à maximo bono , & constat , ex Trident. sess. 25. cap. 18. ubi excommunicat . *Eos qui san-*

O 3 dam

*Etiam Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, voti emitendi, quoquo modo sine justa causa impedierint. nam tanta poena supponit culpam mortalem. Eadem autem est ratio, si iuvenis, vel vir abducatur à Religione. Nulla tamen erit culpa, si ad sit causa iusta dissuadendi Religionem, ut si quis non sit aptus, vel si in illa Religione, seu Monasterio observantia Religiosa non vigeat, vel si parentes graviter egeant filii auxilio. Licet etiam parentibus, si prudenter dubitent de viribus, vel constantia suorum liberorum, illos ad tempus non longum retinere, & probare; graviter peccant, si eos exponant periculis peccandi, vel alicant perse, aut alios ad voluptates, aliave illicita, ut sic à proposito avocent.*

*Resp. III. Qui Religiosum, etsi sine vi, & dolo, sed solo consilio, vel precibus à Religione abduxit, tenetur ex iustitiâ compensare Monasterio damna temporalia inde secuta: quia fecit iniuriam Religioni; nam hæc habet ius retinendi suos subditos tanquam membra, & Religiosus per vota totum se tradidit Religioni in honorem Dei, & sic Religio habet ius ad commoda, quæ præstitisset, & quibus privatur per abductionem. Sic abducens servum à Domino tenetur ad restitutionem.*

CA-